

principijs Physicis, nam certè sunt ex principijs Metaphysicis, ex genere, inquam, & differentia: Item sunt ex alijs principijs quantitativis, materia enim, & forma sunt diuisibiles, habentque partes secundum quantitatem, intelligi ergo debet principia Physica non habere alia principia Physica, ex quibus fiant, materia enim non habet aliam materiam, nec formam aliam formam, nec priuatio aliam priuationem.

Aduerte *sexto*, per particulas *nec ex sese* inuicem excludi Elementa à ratione principij Physici, quia ex vno Elemento fit aliud, ex aère enim generatur ignis, inò omnia Elementa in sese inuicem agunt, & conuertuntur.

Aduerte *septimo*, contra allatam definitionem principiorum Physicorum, duo communiter resolui, & obijci. *Primum* est: Forma, v. g. equi fit ex materia equi, ergo vnum principium Physicum fit ex alio. *Secundum*: Anima rationalis fit, creatur enim à Deo.

Ad *primum* respondent Conimbricenses formam equi non fieri ex materia equi, sed solum fieri compositum, nam formam potius educuntur, quam fiant, sed de hac solutione dicitur in decisione: nunc autem loquimur conformiter ad communem doctrinam & Aristotelicam.

Ad *secundum* respondetur, animam rationalem fieri non Physicè, sed Metaphysicè, adde quod particula *Ex* in definitione principiorum posita non importat habitudinem causæ efficientis, sed habitudinem partis, vel termini, at neutrum horum duorum conuenit respectu productionis animæ rationalis.

Aduerte *octavo*, ab Aristotele principia Physica dici contraria, quod dictum Aristotelis non crudè est intelligendum, sed hoc modo, nempe quòd aliqua principia Physica sint contraria, non tamen omnia, nam certum est, quòd quandoquidem materia, & forma componunt vnum quid substantiale, nequaquam dici possint contraria, ex duobus enim contrarijs non coalescit vnum tertium: sola ergo forma, & priuatio dicuntur habere contrarietatem, nec adhuc propriè dicuntur contraria principia, intelligendo de propria contrarietate, sed meliùs dicuntur priuatiuè opposita, quia priuatio non est ens reale, & proinde non potest opponi contrariè ipsi formæ, quia tamen nomen *contrarij*, quod est species oppositorum, sumitur sæpiùs pro genere, nempe pro ipsis oppositis, idèò alix species oppositorum possunt dici contraria, adde quod sicut contraria se interimunt inuicem, ita etiam priuatiuè opposita.

Aduerte *nono*. Aristotelem dicere principia semper manere, quòd si sint contraria, quomodo semper remanebunt? Responde Aristotelis propositionem dicentis principia Physica remanere esse indefinitam, intelligitur enim de sola materia, & forma, quæ dicuntur remanere in composito, forma enim non dicitur discedere à composito, sed eius priuatio adueniente formæ, quare priuatio non dicitur principium Physicum *in facto esse*, sed solum *in fieri*, vnde dicuntur tria principia Physica *in fieri* materia, forma, & priuatio, & duo solum *in facto esse*, nempe materia, & forma. Quando verò dicit Aristoteles

principia Physica esse, contraria, intelligit de forma, & eius priuatione, & quando dicit principia Physica semper remanere, intelligit de materia, & forma respectu compositi.

Quoad numerum principiorum Physicorum communis post Aristotelem Philosophorum sensus, & opinio à ternario principiorum Physicorum numero deuiantes ita damnat, vt tales Physici nomine indignos reputer, atque vt probent illum ternarium numerum, tres cum Aristotele propositiones proponunt. *Prima* est, Non esse vnum solum principium Physicum. *Secunda*: Non esse tantum duo. *Tertia*, Non esse infinita, sed tantum tria.

Primam propositionem probant ex dicto Aristotelis, quòd scilicet principia Physica debeant esse contraria, non est autem contrarietas, nisi saltem inter duo.

Secundam probant ex eo, quòd cum contraria debeant se expellere inuicem, vt sese expellant debeant sibi occurrere: sed non possunt sibi occurrere, nisi in aliquo subiecto, ergo præter ipsa contraria debet esse subiectum, vnde inferunt esse plura duobus.

Tertiam probant ex eo, quòd si essent infinita principia, compositum ex illis resultans esset ens infinitum, & sic omnia entia Physica essent infinita, compositum enim ex partibus infinitis est infinitum, at certum est entia naturalia non esse infinita, ergo non erunt infinita principia Physica, sed tantum tria, nempe materia, quæ est subiectum contrarietatis, deinde ipsa contraria, scilicet forma, & priuatio, ergo sunt tantum tria, nam si essent plura tribus, deberent plures assignari contrarietates, sicque in infinitum, nam certè secunda contrarietas est inexco-gitabilis, aut si fit excogitabilis, etiam tertia, sicque in infinitum.

Ex his facile est colligere, super quo fundetur tota probatio peripatetica pro dicto ternario numero, nimirum quòd principia debeant esse contraria, quòd si hoc negetur, totum corruet argumentum: sed probant hoc, quia generatio alicuius rei est acquisitio illius rei, quæ acquisitio vt fiat, subiectum, in quo debet recipi talis acquisitio, debet illà re priuari, nam nisi priuaretur, nil de nouo ex hoc acquireret, ergo eò quòd priuaretur formæ acquirendæ, dicitur habere priuationem, quæ proinde priuatio dicitur esse principium Physicum *in fieri*, & non *in facto esse*, illa res autem, quæ acquiritur, debet informare subiectum, in quo recipitur, & idcirco formæ dicitur, nil autem videtur excogitabile intrinsecum ipsi generationi, nisi subiectum generationis, quod idèò ponitur à Physicis, quia *ex nihilo nihil fit*, debet ergo in omni generatione præsupponi aliquid, ex quo fiat, & hoc est materia prima: deinde debet esse abentia, siue priuatio alicuius rei acquirendæ, & hoc est forma priuatio: demùm res ipsa acquirenda, & est forma, ergo tria sunt principia Physica, nec plura, nec pauciora, & hoc est totius Peripateticæ doctrinæ de numero principiorum fundamentum, de qua doctrina pro modulo nostro ferendum est iudicium.

DECISIO.

Obijciuntur
tra dicta de
sustentationem.

Num 4.
Quomodo
physica prin-
cipia dicantur
contraria,
& semper
per manere.

Num. 4.
De numero
principiorum
Physicorum.